

Mahrne ġ m hoc libro continetur
1. Exemplar Illustris & politas orationis de Etigie Egis D Georgi
2. De gregorio papa.
3. Synopsis Antidicti Romanij.
4. Andree Zaglicij Spandomensis log commūnus.
5. Orationes aliquot recitatae in Academia Wittenbergensi.
6. In Ethica Artis quæda enarrationes.
7. Certamen sagittariorum, celebratum Heidelbergæ anno 1550.

Sammelband

Cd 268

CERTAMEN *f. foliis*
SAGITTARIORVM
CELEBRATVM HEIDELBERGAE
GAE ANNO DOMINI 1554.
DESCRIPTVM AVTEM
Per *Ha 7424*
IACOBVM MYCILLVM.

LECTORI S.

Cætera qui coëmis tot passim scripta libellis,
Non grande est precium me quoq; Lector eme,
Aspicies studium & placidæ uestigia pacis,
Nec mora portanti, nec graue pondus ero.

ADDITVM EST EIVSDEM
CARMEN DE INCLYTA VRB
be Argentorato &c.

ITEM EPICEDION MYCILLI SCRL
PTVM A PETRO LOTICHIO SECVNdo, Doctore.

VVITEBERGAE EXCVDEBAT
Laurentius Schuenck.

1561.

CEMATA
GAR
HUNDO
GAR
ACONI
LITERATUR
TAT
LITERATUR

CERTAMEN SA: GITTARIORVM.

INCipe desuetas mecum mea Musa Camcenas,
Dum facio alternis carmina pauca modis.
Incipe: dicemus uolucris certamina ludi,
Gnosiaq; artifici spicula missa manu.
Dicemus nitidum, uictoris premia taurum,
Cumq; suo populi prælia gesta Duce.
Prælia per uarios miscentur qualia ludos,
Fallitur admissis cum mora longa iocis.
Tempus erat medio cùm Sol digressus ab orbe,
Venerat ad gelidæ proxima terga nepæ.
Humida cum pelagi liquidis emergit ab undis
De grege nutricum Fæsula, Bacche, tuo.
Et ferus auersas sequitur qui ponè sorores,
Nocte micat prima fulgidus Oarion.
Et iam postremos claudebat uinitor antes,
Dulcia sub nudo cum pede musta fluunt.
Cum placidæ princeps pacis Fridricus amator,
Fama Palatinæ progeniesq; domus:
Aspiciens patriam longo iam tempore mœstam,
Bella tot indignis dum gemit acta modis:
Solariq; uolens animos formidine pressos,
Et mulcere graui pectora fessa metu:
Proposuit sceleris certamina nota sagittæ,
Et sua uictrici dona ferenda manu.

A ij In primis

In primis nitidum spacioſa fronte iuuencum
Cornua cui, naſcens qualia Luna gerit.
Cui grauia à ſummo pendent palearia mento,
Luxuriantq; ſuis pectora læta toris.
Tanū
Ictu qui uentos perit, & pede ſpargit arenas:
Fronte minax torua, nec ferus ore tamen.
Qualis Agenoreæ quondam ſua terga puellæ
Præbuit, & placitum per mare uexit onus.
Qualis & Aeolia pelagi cum uirgine rector
Aonios inter traditur iſle boues.
Hunc Scythicæ genitum procul ad præſepia gentis
Sarmata quâ crudo ſanguine uiuit equi;
Et paſtum Princeps tales ſeruarat in uſuſ,
Eſſet ut hinc teli ritè uolantis honos.
Kluny
Ergo ubi uicinas fama eſt uulgata per oras
Et ſpacium pugnæ, proposituſq; dies.
Conueniunt paſſim Rheni quos corniger amnis
Finitimos ripa claudit utrinq; ſua. (tum,
Vangionum populi & ueterum gens prisca Neme-
Et quos uicina Lutus oberrat aqua.
Gurgite quos Nauos nebulofō, quos iuga Tauni,
Et iuxta paſcit terra Moguntiaca.
Et procul hinc Sarmis, Matræq; ignobile flumen,
Quæq; alijs adimit nomina Pryſca ſuo.
Hic ubi Iapygias æquauit Gallia cannas,
Victus & Aufonio Teutonus hoſte iacet.
Parte alia Sueui uaſtæ gens accola ſyluæ,
Martia quæ Latiae nomina uocis habet.

Qui

Qui fluit aduerso ueniens ē monte Nagolla,
Et circum medicis terra calescit aquis.
Quâ Cicer & gelidus sinuoso flumine Nicer
Irrigat, & longo tramite sulcat humum.
Quiq̄ colunt Mœni ripas, & Quintia prata,
Et uada crescentis non sine fronde Nedæ.
Quiq̄ tenent colles madidos ubi uersus ad Austros
Hessiacus pingues uertit arator agros.
Venit & Heluetijs procul hinc excitus ab oris
Qua uetus exercet plebs Tigurina solum.
Atq̄ alius rapido quâ flumine diluit Ister
Norica Pannonijs proxima rura iugis.
Præcipue patrios inter, quos ista, penates
Terra tulit, gremio sustinuitq̄ suo,
Approperant, arcusq̄ parant, teretesq̄ sagittas,
Et positis tentant bella futura scopis.
Non secus ac Geticæ reparant cum prælia gentes,
Et subitus populi concitat arma pauor;
Noricus accensa passim fornace colonus
Spiculaq̄, & gladios expedit arte nouos.
Quos pater ut tumido sensit sub gurgite Nicer,
Sustulit ex imis coerulea colla uadis.
Et studium populi miratus & orsa suorum,
Creditus est tales ore dedisse sonos.
O Superis dilecte senex, qui dulcia pacis
Ipse tuis meritis nomina facta geris.
Tristia qui belli mulces incommoda ludis,
Et spargis gratos inter acerba iocos.

A iii Scilicet

Scilicet ut uideant alij tua facta , uiocent̄
Depositis animos ad meliora malis.
Sic age : sic æui uenturi fama paratur,
Non odio, aut spreta cum pietate fide.
Quæ simul ac dixit, solitas demissus in undas,
Impulit admota flumina prona manu.
Quem circum teneræ mulcentes pectora nymphæ,
Instaurant faciles per sua rura choros.
Et lætæ uenisse diem, quo munere pacis
Securas coleret tutus arator opes:
Principis extollunt festa præconia uoce,
Et ludos celebrant, & pia uota Ducis.
Et iam tempus erat primæ certamina pugnæ,
Incipere, & posito figere tela scopo.
Tympana rauca sonant, & acuto tibia cantu,
Accendunt̄ audios carmina nota uiros,
Nec mora, diuersis coeunt ex partibus urbis,
Armati pharetris plurima turba suis,
Iamq; animo secum palmæ meditantur honorem,
Et certam in dubijs spem sibi quisq; facit.
Est locus extremam, quâ Nicer præterit urbem,
Fossa sub extructis mœnibus alta iacet,
Hic domus æthereas tendit sublimis in auras.
Solerti nuper condita tota manu :
Et reparata modis resplendent atria miris,
Sumptibus & magni dexteritate Ducis.
Porticibus fundo surgit tribus omnis ab imo,
Sellarum totidem plana, patensq; locis.

Et

Et iuxta solido posita testudine saxo,
Scanditur obliquis ad caua tecta uis.
Huic geminæ aduerso contra stant aggere metæ,
Et gemini in medio molis utroq; scopi;
Ad quos æratæ contendunt cuspidis ictus
Vno qui clauso lumina tela gerunt.
Quò simul ac uentum est, positisq; sedilibus omnes
Quem sors cuiq; dedit corripiere locum.
Protinus immensi dextra, læuaq; theatri
Concedere duces, nobiliumq; manus.
Hic genus agnatum proles antiqua Philippi,
Altera pars uestræ, Dux uenerande domus.
Hic dominus terræ, quam Cocri allabitur unda,
Militæ princeps, famaq; Teutonicæ.
Illi progenies Nassauæ stirpis auita,
Proxima quæ Catthis temperat arua iugis
Et proles Amyci comitum de gente uetus ta,
Arcis Lunigenæ qui moderantur opes.
Atq; alij procerum, quos uel sibi conscientia uirtus,
Vel nouus antiquæ prouocat artis amor.
Quos inter medius Princeps certaminis autor
Augustus facie, & frontis honore sedet.
Ceu quondam in medio numero cœtuq; deorum,
Præsidet exælsa Iupiter arce poli.
Inde nouem solito ueterum de more leguntur,
Præstantes animis, iudicioq; uiri.
In dubijs quorum (ceu plurima sæpe uidem us
E subito nasci) causa stet arbitrio.

Ictibus

Ictibus hi numerum, & fériendi tempora dicunt,
Et quo res ueniat quæq; gerenda modo.
Iidem etiam longo disponunt ordine dona,
Voti quæ compos dextera facta ferat.
Principiò aurata fulgentem fronte iuuencum,
Serica cui uestis tergora lata tegit.
Quam uarij pictam distinguunt arte colores,
Testanturq; suos addita signa Duces.
Hinc uariata locis argenti pondera & auri,
Pro precio, aut numero quæq; putata suo.
Quæq; alij passim facto certamine ludis
Præmia uiictores parta referre solent.
Ergo ubi compositis operum data copia, rebus,
Cymbalaq; assuetum pulsâ dedere sonum.
Pro se quisq; uiri certant animoq; manuq;
Spe simul ac pauido corda regente metu.
Pars ualidum iniecta sinuant testudine neruum,
Et chalybum adducunt cornua facta focis.
Pars usq; & longa laetas ætate sagittas,
Depromunt pharetris spes, animosq; suis.
Impressis alij quas dicitur uoce columnas,
Quà tegit extremas hispida barba genas:
Diducto uariè labijs titubantibus ore,
Designant oculo dexteriore scopum.
Utq; solet pelago noctu deprehensus in alto,
Lumine qui fixo te Cynosura notat:
Sic illi immotos oculos & corpora seruant,
Dum leuis impulsa clave sagitta uolet.

Fit

Fit sonitus passim crepitantibus undicis neruis,
Quâ secat elisos obvia penna Notos.
Et uelut inducto caligant omnia Sole,
Obscurantib; breues spicula densa scopos.
Non secus, ac multa cum pulsat grandine tecta
Iuppiter, & crebris ictibus arua sonant.
Priuantur latè solitis prospectibus agri,
Concretaq; iacet terra sepulta niue.
Quin etiam medio si qua stetit orbe sagitta,
Suppositamq; breui cuspide fixit humum.
Insequitur plaususq; uirûm fremitusq; fauentum,
Quos metus hinc illinc spes animusq; ciet.
Et laterum obiectu parte ex utraq; resultat
Clamor, & ad cœli peruenit usq; polos.
Tantus amor palmæ, tantos uictoria motus
Excitat: & uarijs pectora rebus agit.
Atq; hic ambiguæ sit quanta potentia sortis,
Et quanto casus plus ualet arte, uide.
Namq; alius paruo fretus moderamine dextræ,
Figit in opposito spicula certa scopo.
Contrâ alius magna dum prouidet omnia cura,
Heu, frustra in uacua spicula perdit humo.
Quosdâ etiam in medio dum tendunt cornua nisu,
Neruus, & immittis destituere Chalybs.
Aut nimia impacta medio ui cuspide clauo,
In partes abiit fracta sagitta duas.
Ut taceam falsa quos ludit imagine cœlum,
Quodq; uolans recto dum petit ære scopum.

B Hæret

Hæret in alterius penna trepidante sagitta,
Et frustra summam stringit in orbe rotam,
Omnia quæ uersu si quis comprehendere tentet,
Tentet aquas idem dicere Thety tuas.
Sic igitur factò primi certaminis orsu,
Signantur positos qui tetigere scopos.
Quos quia tunc uultu dea Prænestina sereno
Extulit, & summo uexit in orbe rotæ:
Exultant animis, cœptorumq; omne læti
Ultima principijs æqua futura putant.
Ast alij tacito demittunt lumina uultu,
Et sua non æquo pectore fata gemunt.
Non secus ac notos cum spectat nauita portus,
Et subitō auersam corripit unda ratem.
Aut spes ambiti quoties frustratur honoris,
Dum ferit accensum mœsta repulsa uirum.
Mox cœptos solito repetunt certamine ludos,
Et reparant animos spe sibi quisq; nouos.
Adductisq; iterum curuantur cornua neruis,
Verberat & crebros pulsa sagitta Notos.
Sed simili quanquam moderantur cuncta labore,
Et paribus tendunt arte, manuq; uiri:
Non tamen & simili procedunt omnia cursu,
Fallit & euentus spes animosq; suus.
Nam quibus in medio steterat prius orbe sagitta,
Et dederat primis prospera signa notis.
Labentem aspiciunt mutato numine sortem,
Et referunt uacuo spicula rapta solo.

Contrā

Contra alijs melior redit in præcordia uirtus,
Excitat & motus spes reparata nouos.
Fortunaq; iterum & dextræ moderamine freti,
Figunt in medio Gnosia tela scopo.
Sic quondam iactis reparat Venus aurea talis
Quæ modò damnosí diminuere canes.
Tum uero uarijs implentur cuncta querelis,
Cum tegitur causis res malè gesta suis.
Namq; alius læsam, trahitur dum forte sagittam
Clamat, & hæc nostri est inquit origo mali.
Aut tacito explorat currentis pollice nutus,
Facta recens teli rimula si qua patet.
Ast alius tentat labefacto stamine neruum,
Et dolet hunc uires non habuisse suas.
Insertasq; nuci commissas unguine chartas,
Reiçit, atq; omnem diluit arte moram.
Mollius hic tereti submiserat ora columnæ,
Quæ gerit apposita tela regenda manu.
Alter at insolita dum raptat uincula dextra,
Torsit in obliquum spicula uersa latus.
Pars etiam chalybem iusto curuamine flexum
Dum negat, in dubium cornua lenta uocat.
Aut nuce luxata queritur quod largius æquo
Euulet incertis acta sagitta modis.
Pars nebulam, aut motos accusat in aëre uentos.
Et crebro humentes aspicit ore polos.
Aut mutata loco uestigia forte reponit,
Et uariè positos fertq; refertq; pedes.

B ij Deniq;

Deinque tot clara fulgent uix sydera nocte,
Aut tot uerna nouis floribus arua miçant:
In promptu quo sunt purgandi crimina causæ.
Quæ sors, aut hominum propria culpa dedit.
Hoc igitur pacto solem hunc, geminosque sequentes
Incerti peragunt, spem uariante metu.
Et nunc hos uultu uolucris Dea, nunc fouet illos,
Inque uicem lætos, attonitosque facit.
Ictus at postquam bis iam fecere nouenos,
Ex numeris pugnæ totius omnis erat.
Iamque peracta suum poscunt certamina finem,
Colligit & quartum fessus Apollo diem.
Aduolat ingenti ueniens uictoria plausu,
Et tandem certo stat pede fixa loco.
Vrbs uetus in dextra Mœni stat candida ripa,
Mercibus & populo nobilis omnigeno.
Tunc cum uerna nouo mitescunt tempora Sole,
Et spacio redeunt umbra diesque pari.
Aut cum libra graues immittit frondibus Austros,
Et folia arboribus pallida facta cadunt.
Inde satus, reliquos arcu superauerat omnes,
Et positum undecies fixerat ære scopum.
Quæque loco stabant uictori debita primo,
Lege merebatur dona referre Ducis.
Ergo illum passim dextra læuaque petentes,
Victorem magno uocis honore uocant.
Et iuxta aurata splendentem fronte iuuencum,
Gratanti statuunt præmia prima manu.

Applau-

Applaudunt socij, longaque per atria pompa,
Deducunt laetum sorte locoque virum.
Post alij, ut fretus fortuna quisque secunda,
Fixerat in medio spicula plura scopo.
Argenti atque auri donantur pondere certo:
Et sua pro merito premia quisque refert,
Nec solum uirtus aliquo pensatur honore,
Sed manet ignauos & sua poena viros.
Namque leues frustra qui tot misere sagittas,
Quot numero pugnae pars fuit acta prior,
Accipiunt solitas auerso corpore plagas,
Expositaque iocis uerberibusque iacent.
Quos bicolor gerens trifidam cum ueste tabellam,
In numerum positos uoce manusque ferit.
Et circum socij respondent uertice nudo,
Et repetunt notos ingeminantque sonos:
Atque ita composito tanti certamine ludi,
Debita cum uictis premia uictor habet.
Quos deinde alloquitur paucis pro tempore uerbis,
Et studium Princeps laudat, & obsequium.
Cæptorumque breues exponens ordine causas,
Et patriæ & pacis qualia dictat amor.
His animi tristes, inquit, depellite curas
Rebus, & à longo soluite corda metu.
Quemque dedit fortuna locum, quæ premia cuique,
Accipite, & laetum concelebrate diem.
Et iam finis erat redditum passimque parabant
Hinc populi, hinc procerū, nomina clara genus.

B ij Ecce

Ecce tibi g̃eminæ formā præstante puellæ,
Incedunt altæ per tabulata domus.
Pulcra quibus talos uestis descendit ad imos,
Oraq; purpureo tincta pudore nitent.
Hæ maris apportant textam de rore coronam,
Atq; aurí multo uimine conspicuam.
Atq; oculis circum lustrantibus omnia seruant,
Aspiciant si quā, cui sua dona ferant.
Stabat in aduersa medio sub limine parte,
Vangionum ē populo candidus ore senex:
Curia quem celebrem faciebat & ordo Senatus,
Et res per uarias publica gesta uices:
Et ciues inter crebrō certauerat arcu,
Et tulerat facili præmia sæpe manu.
Hunc illæ imposita quæsitum fronde coronam.
Innectuntq; comis tempora cana nouis.
Agnoscunt socij factum Ducis, & noua quondam
Expectant similis munera lætitiae.
Amplexiç; uirum, repetito laudis honore,
Ducunt per longos uoce manuq; foros.
Quos Princeps iterum uerbis affatus eentes,
Moris, & antiqui commonet officij.
Utq; eadem crebris redeant spectacula ludis,
Et releuent animos talia multa graues:
Inspectare iubet frondentis signa coronæ,
Et data uirginea florea serta manu.
Inq; orbem solitis certamina nota sagittis
Ponere, & exemplis arma mouere suis.

Actne

Ac ne quis leuia aut æuo ignorata priore,
More geri demens arguat ista nouo:
Aetatis repetens artes, & nomina priscæ,
Commemorat pharetras pulcher Apollo tuas.
Fatalesq; Phrygum Tirynthia tela, sagittas,
Priamides quarum uulnere uiictus obit.
Dardaniosq; arcus, magnus quos sensit Achilles,
Troianosq; alios arma Lycaonidæ.
Et quibus altiuolans fixa est sub nube columba,
Et quibus usus obit rex uetus Oechaliæ.
Addit & Alconis laudes & spicula Teucri,
Et Laertiadæ cornua flexa manu.
Factaq; Trinacrijs Troum certamina campis,
Alteraq; Aemonio facta Menoetiadæ.
Quæ si non ijsdem telis, arcuue peracta,
Arcuq; & telis acta fuere tamen
Hinc pacem socijs, & festis ocia rebus,
Mansurasq; diu fata precatus opes:
Hæc ut felici succedant omine uota,
Cœlicolum multa numina uoce rogat.
Atq; ita perfecto lætos sermone remittit,
In patriam dicit quâ uia quemq; suam. (ceps,
Salue magne parens, Diuūm genus, inclyte Prin=
Salue magnanimi uera propago Iouis.
Vtq; facis, pacis studium partesq; tuere,
Et data mansuris otia rebus ale.
Bella gerant alij, uexent terroribus urbes,
Immitiq; ferant arua, domosq; manu.

Te tran

Te tranquilla quies iuuet, & concordia rerum:
Te cultus Superum, & pacis amica fides.
Te pietas, te connubij sincera uoluptas,
Ocia, & ingenuis tempora mista iocis.
Et facilis cultura soli, & iuga consita uite,
Et Ceres, & multo condita musta cado.
Sint leges, legumq; uetus reuerentia custos,
Sit pudor, & studijs dedita cura pijs.
Præcipue teneræ tangant tua pectora Musæ,
Edita cœlesti semine turba Iouis.
Queis nihil in toto restat præclarior orbe,
Nec quicquam tempus sanctius omne tulit.
Quæ mores hominum fingunt, animosq; recentes
Et prohibent mentes à feritate rudes.
Virtutesq; uirum, & secli monumenta prioris
Emori, & extingui tempus in omne uetant.
Nam quis Abantiaden, quis magnū nosset Achillē,
Thersea, & Herculeæ fortia facta manus:
Quis tot Achæmenio ductos ex hoste triumphos,
Subditaq; Emathio Persica regna iugo.
Aut Tyrios Italo deuictos Marte colonos.
Punicaq; Ausonijs arua subacta uirisq;
Si non Aoniæ seruassent omnia Musæ,
Sciret & illarum hæc munere posteritas.
Musæ res hominum celebrant laudesq; Deorum,
Cœlesti famam conciliantq; Ioui.
Hæ quoq; Pipinos Latij noua nomina regni,
Et cœlo Hainricos asseruere Duces.

His

His senior uiuit uestra de stirpe Rupertus,
Et par antiquis laude Philippus auis.
Et nuper cœli frater super additus oris,
Ille tuus, pacis dux Ludouicus amor.
Cuius ob interitum longo Germania luctu
Demisit uultus, occuluitq; suos.
Cui quia te similem facilis natura creauit
Ingenio, & multo pacis amore parem:
Has quoq; perpetuas tranquillæ pacis alumnas,
Prælidijs clemens ipse tuere tuis.
Casurasq; iterum magno discrimine rerum
Suscipe, & in tuta sede repone Deas.
Succurrant animo regum tibi facta priorum,
Italides passim, Parrisiæq; Scolæ.
Succurrant animo generis monumenta paterni,
Milliaq; in doctos tot numerata viros.
Quodq; diu dextro coepisti munere fretus,
Et superum fatis auspicioq; Deum:
Prosequere, & tacitas cura præuerte ruinas,
Venturisq; malis qua potes affer opem.
Sic cum dilecta crescat tibi coniuge uita,
Et superent Pylij tempora uestra senis.
Sic Dominus, rerū penes est quem summa potestas,
Ipse tuas uires, ipse gubernet opes.

F I N I S.

C VATL

VATICINUM DE ECCLESIA ARGENTINEN-

si, ad quam pars baculi Petri allata
est, Iacobi Micylli.

T'Empore quo primum Romana Petrus in urbe
Cœpit ues uerbo paſcere Christe tuo.
Missus ab hoc noſtras uenit Maternus in oras,
Discret ut ueram Sequana terra fidem.
Sed quid fata ualent; primos dum uoce Tribocos
Erudit, & gentes cœrule Rhene tuas.
Ecce Argentorati fœlicibus excidit orſis,
Et ſubita ſoluit lumina uicta nece.
Hac ſocij tanta perculsi pectora clade,
Quos illi comites Itala terra dedit.
Eucharium ex numero mittunt fidumq; piumq;
Funera qui ſancto nunciet iſta Patri.
Qui ſimul ac magnis repetiuit cursibus Vrbem,
Et mandata Patri plena dolore tulit.
Mox ille, ut ſacra ſedit tum fortè cathedra,
Et leua baculum, præſulis arma tenet.
In gemit, & caſum tanti miſeratus amici,
In partes frangit lignea ſceptra duas.
Ex quibus hanc retinens, illam dat ferre ſodali,
Et ſuper imponi mortua membra iubet.
Ille redit quantumq; potest uestigia retro
Approperata legit, ſanctaç; iuſſa facit.

Nec

Nec mora qui dudum sōpītūs morte iacebat
Surgit, & ad cōcēlos ora manusq; leuat.
Et lāetus Christi uirtute & amore magistri
Pergit, & inceptam prædicat ore fidem.
Fama uolat passim tam rari nuncia facti,
Et celebrat sancti nomen opusq; uiri.
Cōueniunt quos Prusca uagūs, quoſq; irrigat Ellus,
Et solitus Vogesi crescere Sarnus aquis.
Aurea mīrantur redeuntis secula mundi,
Et noua uerbigenæ fataq; uimq; Dei.
Nec desunt quibus hæc præsagia certa uidentur,
Omen ut hæc baculi fragmina habere putant.
Nam uelut in partes hic fractus dissilit ambas,
Parſq; Argentoratum fragminis una uenit.
Sic quando Latia sceptrum frangetur in Vrbe,
Diuisa in partes relligione duas.
Vrbs eadem Christi renouatum dogma sequendo,
Et baculum Petri, tunc & habebit oues.

F I N I S.



C ij DE OBL

DE OBITV CLA:
RISSIMI VIRI IA:
COBI MYCILI.

AD

D. PHILIPPVM MELANTHO:
NEM, PETRI LOTICHHI SECUNDI
ELEGIA.

FLebilis à Nicro gelidum miraris ad Albim
Cur ueniat passis Musa Philippe comis.
Nec præcincta gerat uiridanti tempora Lauro,
Vestis inæquales sed tegat atra pedes.
Scilicet hic lacrymis color est & luctibus aptus,
Hic habitus mœsti pectoris esse solet.
Luna bis impleuit crescentem cornibus orbem,
Bis radios uerso condidit orbe suos.
Ex quo Vangionum cultis digressus ab oris
Liquisti patriæ rura propinqua tuæ:
Tristibus intereā Lachesis nos dura fatigat
Casibus, & lætos non sinit ire dies.
Vtq; alios tageam, quos functos munere uitæ
Abstulit immiti Parca seuera manu:
Ille decus Phœbi, Musarum cura, Micyllus
Occidit: Heu fallax, & breue uita bonum!
Hæc igitur meta est nostrorum summa laborum:
Hæc miseri uates conditione sumus:
Tertia post actas Iani lux uenerat Idus,
Quam tulerat fuscis Lucifer ortus equis.

Cùm,

[fol. 86. 142]

Jh 5013 K

ULB Halle
004 805 038

3




TA-70C



Farbkarte #13

B.I.G.



ERTAMEN
ETARIORVM
ATVM HEIDELBER
NNO DOMINI 1554.
SCRIPTVM AVTEM

Per

Ha 7424

OBVM MYCILLVM.

LECTORI S.

emis tot passim scripta libellis,
nde est precium me quoq; Lector eme.
um & placidæ uestigia pacis,
a portantí, nec graue pondus ero.

TVM EST EIVSDEM
EN DE INCLYTA VR^z
be Argentorato &c.

CEDION MYCILLI SCRL
PETRO LOTICHO SECVN^o
do, Doctore.

BERGAE EXCVDEBAT
Laurentius Schuenck,

1561.